

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiæ, 1766

LIB. VII. TIT. V. De Vsvfrvctv Earvm Rervm Qvæ Vsv Consvmvntvr.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9044

VSVFRVCTV EARVM RERV
QVÆ VSV CONSVMVNTVR.

Qv. I. *An vestimentorum verus possit esse
ususfructus?*

AFFIRM. (1) per text. expr. in *l. 15. §. 4. de usufructu.* Ubi *Laut. pag. 129. verb. vestimen- torum &c. verus po- tius Usus- fruct. est.* fructuarius vestis, si non ut quantitas ei legata sit, sed ut corpus & vestem etiam ut speciem vestem & corpus relinqui posse, patet quoque (3) hoc casu abuti fructuari- um veste non posse, quod falsum esset, si esset quasi usufructus *§. 2. tius Usus- fruct. est.* *Inst. de Usufr. l. 7. h. t. l. 5. §. 1. & 2. h.* Sed & (4) in *l. 9. §. 3. fruct. est.* *Usufr. quem cov.* dilerte dicitur fructuarium finito usufructu *vestem attritam reddendo liberari*, cum tamen ex natura quasi usufructus tantundem restituere deberet. (5) Si vestis usu consumitur vel minuitur, i. e. si ejus usus in consumptione & abusu consistit, sequitur, quod eo momento, quo tota veste utimur, totam quoque consumere debeamus, nam in quasi usufructu usus rei in abusu seu consumptione consistit, ergo usus totius esset totius absumtio; *l. 5. §. 1. l. 2. h.* refellit autem hoc quotidiana experientia, ex qua constat, uti nos posse veste, ut ne ulla quidem pars ejus pereat: Etsi vero (6) filamenta deterantur, notum tamen est substantiam manere salvam, neque ideo eam minui; Et si vestis ideo pro re quæ usu minuitur habenda esset, quia summitates lanæ aut filorum decedunt, sequeretur, quod *ædificia*, quibus cæmента, tecta, fenestræ, integri parietes &c. usu decedunt, item *fundi*, quibus fructus, arbores &c. *ovæ*, quibus lac & lana &c. decedunt; *fer- rum* denique & *metalla*, quæ usu teruntur, sint res quæ usu minuuntur, indeque fungibiles: Ergo res usu minui dicitur, non cum aliquid cum tempore decedit, sed cujus substantia per usum tollitur & absumitur. (7) Vestimentum potest locari, & commodari, *§. p. Locat.* quod falsum esset, si res esset fungibilis, quantitas enim nec locari, nec commodato dari potest. *l. 3. §. f. l. 5. §. 10. commod. l. 2 §. 1. qui pot.* (8) Si vestis esset res quæ in abusu consistit, non posset unquam in veste scenica, lugubri &c. verus usufructus constitui, contra *l. 15. §. 4. Usufr.* Illæ enim res quæ in abusu consistunt, nec naturali nec civili



civili ratione usufructum admittunt. §. 3. *Inst. h.* quin nec Senatus quidem admittere poterat. *d. §. 3. in f. l. 2. §. 11. h.* (9) Sed & hæ vestes usu atteruntur, & tamen verus usufructus in iis constitui potest. (10) Ita vestis in mutuum tanquam res fungibilis venire posset, quod nemo dixerit. (11) Quid? coriacea veste uti possemus, in qua proinde verus usufructus constitui posset.

Manet ergo regula quod in veste etiam verus usufructus constitui possit; At bonus paterfamilias ob facilem attritionem non ita solet alii utendam concedere, quis enim recipiet vestimentum per aliquot annos jam gestum & attritum? sed potius æstimato ejus usum fructuario concedit, ut scil. tantundem finito usu restituat, idque in arbitrio proprietarii est; per text. expr. in *l. 15. §. 4. Usufr.* verb. *Sicut quantitatis usufructus legetur.* Atque hunc morem bonorum patrumfamilias sive id quod plerumque fit, secutus Imperator, vestimenta quoque inter res quæ usu consumuntur collocavit in §. 2. *Inst. h.*

OBJ. Quod in vestimentis nec naturali nec civili ratione, quin nec autoritate Senatus verus usufructus constitui possit.

RESP. Verum hoc est in vestimentis æstimato datis, nam cum ut quantitas hoc casu considerentur, *d. l. 15. §. 4.* in ea quantitate verus usufructus nulla ratione constitui potest.

INSTAT *Vinn. ad §. 2. h.* ita non vestis, sed quantitatis usufructum relictum esse.

RESP. Imo ipsius vestis, sed tanquam quantitatis.

Ufus hujus quæstionis insignis est usufructu omnium bonorum legato, ubi quæri potest, an vestes in vero usufructu sint, an in quasi: Item si filio vestimenta donantur &c. qualis usufructus patri competit. Vid. *Berger. ad Laut. h. t. Stryk. U. M. h. §. 2.*

Varie DISSENTIUNT Dd. ALII distinguunt inter vestem quotidianam & scenicam, *Accurf. ad d. l. 15.* atque ita judicatum refert *Vinn. d. l. ALII* dicunt *d. l. 15.* loqui de lana ex qua conficitur vestimentum, adeoque materiam ibi sumi pro materiato. *Vinn. d. l.* sed omnia jam clara sunt ex principiis positis; Pro nostra sententia militant *Laut. pag. 129. lit. O. Bach. ad Tr. p. 1. D. 16. lit. a.*

DISSENTIUNT *Struv. h. §. 39. Treutl. d. lit. a. Vinn. d. l. Hoem. ad ff. Disp. 3. th. 8. lit. d. Berger. in resol. ad Laut. h.*

Qv. II. *An cautio fit de forma quasi usufructus?*

RESP. Est de substantia negotii quo constituitur usufructus, & haec forma ex SCto ei praescripta est ut caveat fructuarius. §. 2. *Dissent. Laut. pag. 129. verb. Cautio non est de forma &c.*
Inst. h. Non vero est de substantia ipsius usufructus, quia cautio vices proprietatis sustinet, d. §. 2. quae opponitur usufructui: Atque hinc est, quod cautio quoque omitti, & nihilominus finito usufructu quantitas condici possit. *L. 5. §. 1. h.*
 Quantopere Dd. hic hallucinentur vide apud *Vinn. h. t. §. 2. n. 4.*
Conf. Phil. U. P. 1. l. 2. Ecl. 28. n. 2.

Qv. III. *An quasi usufructus tantum finiatur morte naturali & civili?*

Ita putat *Laut. pag. 129. in fin.* sed verius est, etiam consolidatio, ne, cessione, atque elapso tempore praescripto, finiri. *arg. §. 3. Laut. pag. 129. verb. Finitur tantum &c.*
Inst. h.
OB J. (1) Quod in §. 2. *Inst. Usufr.* fructuarius tantum caveat de restituendo si morietur, aut capite minuetur.

RESP. Quia in reliquis modis fructuarius ex natura usufructus proprioque pacto rem restituere tenetur, adeoque cautione exprimi non debent.

OB J. (2) *L. 9. & l. 10. h.* Ubi ideo soli illi duo casus exprimi in cautione debent, quia pecuniae usus aliter quam his casibus amitti non potest.

RESP. His solis casibus amittitur citra voluntatem nostram: Quo ipso non excluduntur remissiones voluntariae; Uti si pacto certum tempus definitum sit, vel in consolidatione, vel si ex natura usufructus id sequatur, ut in cessione.

LIB. VII. TIT. VIII.

DE

OPERIS SERVORVM.

Qv. I. *Quomodo differat opera servorum ab usufructu & usu servi?*

RESP.

